DISSERTATIO MEDICA

CHIRURGICA,

DE

CARCINOMATE.

7

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS, DE CARCINOMATE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER ROSS,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS SOCIUS HONORARIUS.

Malum late solet immedicabile cancer
Serpere, et illæsas vitiatis addere partes. OVID.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

Edinburgi:

EXCUDEBANT DANIEL SCHAW ET FILIUS.

1805.

PATRI SUO OPTIMO,

ATQUE DILECTISSIMO,

JACOBO ROSS, M. D.

OB SUMMAM DILIGENTIAM,

QUA, BONIS DISCIPLINIS MORIBUSQUE

SE SEMPER INSTITUENDUM

AB ÆTATE INFANTILI,

CURAVIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS ANIMIQUE GRATI SEMPITERNI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

EA, QUA DECET, PIETATE

OFFERT

FILIUS ATQUE DISCIPULUS.

VIRO EXIMIO,

ET ADMODUM REVERENDO,

GEORGIO BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ

PRIMARIO,

BENEVOLENTIA VERA, MORUM

URBANITATE, CÆTERISQUE VIRTUTIBUS

QUÆ VITAM HONESTANT,

ORNATISSIMO,

PROPTER AMICITIAM QUA SE

SEMPER DIGNATUS EST,

GRATO ANIMO,

D. D. DQUE

ALEXANDER ROSS.

PATRUO SUO

PRÆSTANTISSIMO,

CAROLO ELDER, ARMIGERO,

VITÆ INTEGRITATE,

MORUM COMITATE,

OMNIBUSQUE VIRTUTIBUS,

QUÆ VITAM HUMANAM ORNANT,

EGREGIE CONSPICUO,

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

To John Charles Ogilvie Esq.
with the best wishes of the Author

DISSERTATIO MEDICA
CHIRURGICA,
DE
CARCINOMATE.

ALEXANDRO ROSS, Auctore.

AD tempora antiquissima, quornm in historia medicinæ occurrit mentio, morbus hic horrendus indagari potest, et plorandum est, artis Hippocraticæ progressu non obstante, adhuc inter insanabiles esse recensendum.

Carcinomatis exempla a Stoerk, Akenside, Gooch, Rush, sanati quæ scriptis traduntur vera hujus morbi exempla, necne parum com-

perimus ;

perimus; dum manifesto patet remedia ab iis tantopere laudata, ad hoc malum sanandum, aliorum manibus exhibita parum profecisse, morbumque ex eorum usu in pejus sæpius ruisse.

Ulcerum carcinoma referentium exempla quædam notabilia præparatis ex arsenico debellata a Doctore Rush Philadelphiæ, memorantur, qui tamen profitetur, in mammis scirrhosis curandis eadem medicamina irrita semper evasisse, in hoc carcinomatis veri exemplo unico forsan usurpata; et etiam suspicandum est, quod curationis faustæ exempla a Gooch scriptis tradita hujus morbi curationes, solummodo mentirentur.

Propter has relationes ambiguas, multum vituperantur remedia valde pretiosa: et propter morbos irritatos, vel eorum curationes, specificorum usu procrastinatas medicamentis usu et experientia in morbis talibus sanandis, jamdudum comprobatis diutius inde prætermissis

medicorum

medicorum haud parvi nominis ea jubentium, fama in lubrico versata fuit.

Ex formis variis sub quibus sese prodit hoc malum, tales sententiæ diversæ originem duxerunt; utque etiam ex formis his alios morbos mentientibus quorum nonnulli, etsi modificationes dicti, ab eo in acerbitatis gradu differri viderentur, tumores strumosos et phlegmonideos intelligo, quorum postremi, quamvis cum tumoribus scirrhosis aliquando conjuncti, ab iis nihilominus distinguendi sunt.

Carcinoma etiam ab Herpete nasum exedente, et noli me tangere, discriminandum est. Ulcera phagedænica, quæ ad carcinoma minime referenda sunt, Hydrargyri muriati, uti in observationibus medicis monemur sanari possunt.

MORBI HISTORIA.

CARCINOMA.

Sub tumoris indurati forma usitatissime sese ostendit, qui propter duritiem, formam inæqualem et immobilitatem dignoscitur, sæpissime dolores jaculantes non accidunt, donec in statum ulcerosum morbus transiverit; aliquando sensim invadit, molemque magnam prius attingit, quam ab ægra percipiatur, vel periculi sui conscia sit.

Ex hac induratione et insensibilitate tumoris cancrosi, apparet morbum acutum non esse, neque inter carcinoma et quemvis alium morbum, connexio ulla necessaria intercedere videtur. Primo, mobilis, parvus, et sine decoloratione plerumque est tumor, inter incrementum ejus, magis inæqualis quod ad figuram evadit, et partibus subjacentibus, quæ cito contaminatæ et valde sensiles fiunt, adhæret.

In

In morbi decursu si in mamma sedem posuerit, ingravescunt dolores lancinantes, intumescunt venæ, dum colorem mutant integumenta, et qua maxime promunt, dissilit tumor, in ulcus immedicabile nonnunquam degenerans, et materiei ichorosæ quæ partes vicinas, glandulas præcipue, rodit, copiam effundens. Totius Brachii lateris affecti, lymphatica, plurimum distenduntur, et demum ægræ miserrimæ habitus universus funditus inquinatur. Interdum in medio dissilit tumor, et ex fissura caro spongiosa, quæ humorem tenuem corrodentem etiam effundit, enascitur, exinde quoque hæmorrhagiæ frequentes quibus exhauriuntur ægræ vires erumpunt. Partes extremas haud raro aggreditur, sub hac forma morbus, nuper, ab nonnullis auctoribus pro novo et diverso morbo, depictus fuit. Hayeus Leidensis, Fungum Hæmatodem nominat; et Burneus Glasguensis tumorem spongiosum eum nuncupat.

Testiculos nonnunquam aggreditur Fungus

Hæmatodes,

Hæmatodes, partes quarum horum auctorum neuter mentionem fecerunt. Graviter errat Burns, dum asserit, hunc morbum ab auctore nullo unquam descriptum fuisse, nam in Monroei primi operibus morbi, ejusdem pictura invenienda est.

Carcinoma ab omni alio ulcere dignoscitur materiei ejus fætore deterrimo, et in stadio ejus postremo, ulcus horrendum format, cujus margines aliquando retrovertuntur nonnunquam etiam vice versa, doloribus acerrimis profundis et gravissimis comitantibus.

Superficium inequalem et faciem serratam præ se ferunt ulcera cancrosa, ex quibus humores detracti tam acres nonnunquam fuisse feruntur, ut involucra iis applicata corrodant*. "Humor effusus apud quosdam auctores adeo acris fuisse fertur, quod linteola, resque alias applicatas, instar caustici consumere potuerit. Hoc tamen fortasse fictum, certo perrarum est."

Sub

* Histor. Chirurg. p. 229. vol. 1.

Sub diversis formis incipit carcinoma, quarum frequentissimæ sunt impetigines et squamulæ, labii inferioris aut mammarum fissuræ profundæ, vel tubera carnea. Polypi et cætera corporis excrescentia haud raro indolem cancrosam induunt*. Sub forma tumoris spongiosi morum referentis, linguam haud raro aggreditur. Faciem frequentius mutant ulcera cancrosa, et granulationes sanas præ se ostendunt, quasi curatu prona: Sed plerumque cito evanescit facies hæc benigna, tam cito degenerantibus denuo ulceribus, in virus pristinum; æger diarrhæa et sudoribus profusis correptus animam demum miserrime efflat.

In partibus musculosis variat in progressu cancer ulceratus, et plerumque passu lentiore quam in structura glandulari progreditur; metuendum est nihilominus ne inficiantur glandulæ vicinæ, unde sequerentur eadem fere quæ ex glandulis axillaribus mamma scirrhosa contaminatis.

Corporis

* Audi prælectiones Domini Russel.

Corporis humani pars nulla, ut verisimile est, ab hujus mali incursionibus omnino immunis est: Fœminarum mammæ, et utriusque sexus, generationis organa, ei præcipue obnoxia sunt; partes glandulares maxime, et secernentes sæpius quam absorbentes, male afficiuntur; et secernentium quæ fluida œconomiæ animali inserventia ministrant, multo frequentius quam quæ sanguinis excrementum secernunt*. Pearson nullum exemplum compertum habuit, in quo glandula absorbens mali prima sedes fuit; quando afficitur glandula lymphatica, scirrhus haud semper in causa est.

Glandulæ per quas viro in systema transeundum est, non nisi post longum tempus aliquando afficiuntur. Vasa lymphatica incrassari et varicosa fieri enarrantur, sed quales mutationes speciales subeant, nondum satis accurate indagatum est. Specialis ejus natura etiam, vel structuræ mutatio, quæ in parte antiqua

* Labrum superius, ut credo, nunquam vel rarissime afficitur.

tequam sese ostendit carcinoma obtinet sub alta caligine adhuc obumbratur *. Actio specifica vel mutatio sui generis, naturæ cujus ignari sumus, diuque forsan ignari futuri sumus, dicenda est. Actionis morbidæ mutationem subire posse, ex analogia credere ducimur. Post Hydrargyrum exhibitum, indolem suam sæpe mutant tumores syphilitici, atque in ulcuscula molesta transeunt, quibus nocere potius quam prodesse reperiuntur præparationes mercuriales †.

An ulla regio orbis terrarum hujus orbi immunis sit quæratur, forsan utcunque non tam passibus citatis, in calidis quam in frigidis regionibus progreditur. Ægri vitam ab hoc malo rarissime decurbari monet Celsus, nisi imprudenter suscitato ‡.

Præter hominem, animalia quædam huic malo

* Audi prælectiones Domini Russel.

† Abernethy.

‡ Celsus, lib. v. c. 28.

malo obnoxia sunt, ex canis feminæ mamma scirrhum exsecuit Chirurgus Thomson, et exemplum ejus in canis pene se vidisse memorat *.

Plorandum est, tantillum lucis ex signis quæ in dissectionibus sese manifestant, in hujus morbi naturam adhuc diffundi: horum historiam accuratissimam huc usque scriptam Doctori Baillie debemus, qui septis ligamentis vel membranosis validis uti radiis ex centro circuli nonnunquam tendentibus tumores scirrhosos inindurari invenit. Sacculi, etiam fluidum serosum at aliquando sanguinem continentes haud raro reperti fuerunt, præcipue in thorace et testiculo. Exempla quædam ei sese obtulerunt structuræ scirrhosæ in materiam osseam transeuntis: in his materiei terrenæ majorem copiam quam in ossibus veris reperiri existimat, molis ratione habita. Siquando adeps contaminaretur, tam durus quam cartilago inveniebatur. Non verisimile est, hos sacculos in structura scirrhosa repertos,

* Audi prælectiones Domini Thomson.

repertos, ad morbum constituendum, uti existimat Doctor Adams, necessarios esse. In quibusdam exemplis, quibus inter secandum interfui, sacculorum nulla vestigia manifesta mihi sese obtulerunt. Vasorum obliteratio propter scirrhum per injectiones anatomicas monstrata sæpe fuit.

Sententia popularis de hujus morbi natura hæreditaria, experientia innita non videtur Boerheaavius familiæ mentionem facit, qui omnes, ætatis certo tempore hepatis scirrho correpti, decesserunt: et nihilominus quamvis per universam familiam nonnunquam grassatur, natura ejus hæreditaria imaginaria esse videtur.

Hujus morbi natura contagiosa, observationibus et periculis futuris adhuc probanda est. Professor Russel ne unum quidem exemplum, in quo, contactu communicabatur hoc malum, unquam videbat *. De marito cancere interempto, quem mammas uxoris sugendo contraxerat,

* Audi prælectiones Prof. Russel.

traxerat meminit Tulpius, qui etiam existimat, contaminatæ, anima inspirata, morbum alteri communicari posse *.

Feminæ nobilis exemplum memorat Gooch, quæ casu, ulceris cancrosi materiem tres annos nata, degustavit; ulcera, quæ in ore ejus decimo quarto post virus gustatum die sese ostenderunt, difficillime sanata sunt. Malum utcunque post annos quindecim, denuo erupit, ægramque interemit †. Attamen non pro certo constat, morbum, in hoc exemplo, post tantum intervallum, materie virosa deglutita, produci, uti existimat Gooch; si certum sit, ex analogia concludere possumus, malum hoc, æque ac syphiliticum, nonnunquam in corpore delitescere, et post intervallum longum sese ostendere.

Viri exemplum a Pearson memoratur, qui, propter materiem virosam temere gustatam, mortuus

* Observ. Med. Nicolai Tulpii.

† Gooch Chirurg. v. ii. p. 127.

mortuus est *. Ex viri cancrosi applicatione ad partem aliquam, effectum, ac cujusvis alii fluidi corrosivi similem produci opinatur Pearson.

Hydatidum fluidum in structura cancrosa aliquando repertum ; nullum sensum specialem leni salsitudine excepta, linguæ applicatum, producere inveniebatur †. Ulceris sanies, uti venenum morbidum, ulcusculum phagedænicum producens agebat. Hujus generis exempla duo a Gooch memorata, hydrargyri muriatis usu, levabantur. Neutrum horum, carcinoma verum esse, ut addemus, supervacaneum est.

Corpori in quo generatur, unico lethum adferre dicitur, ex canis exemplis quibus, huic morbo obnoxiis, exhibitum specialem nullum effectum suscitavit ; hoc periculum a Febure factum fuit. In cane nihilominus periculo inveniebat Professor Russel, insertionem materiei cancrosæ,

* Pearson.

† Dissertation. Med. vol. v. p. 339.

cancrosæ, sub cutem dorsi ulcus pessimi moris fecisse, quo animal efflavit animam. Ex cadavere hujus canis fætor intolerabilis oriri cito observatus fuit; et tamen profitetur Russel, ulcus dissimillimum fuisse carcinomati *.

DE CARCINOMATIS INDOLE, LOCALI VEL GENERALI.

UTRUM generalis vel topicalis sit affectio, plurimum disputatur. Morbum generalem esse, medici plerumque asserunt; dum, paucis exceptis, chirurgi fere omnes pro natura topicali ejus strenue contendunt †.

JOANNES Hunter, morbum in ingressu ejus, æque localem ac cancrum venereum existimat. Professor Russel omnino localem putat, et sententiam de natura ejus universali, quasi periculosam, aversatur. Qui pro natura ejus universali

* Audi prælectiones Professoris Russel.

† Monro primus, Petit et le Dran crediderunt morbum esse generalem.

sali depugnant, sententiam suam argumento sequenti firmant; videlicet, eandem ad carcinoma proclivitatem, etiam post morbum, amputatione remotum, in systemate remanere, quod recursu ejus satis probatur.

Sed confitendum est, excisione tempestive facta, omnibusque portiunculis morbidis, a chirurgo, sollicite exsectis, nunquam recurrere malum.

Litem talem, quæ generis humani tantopere interest, adhuc sub judice esse imprimis lugubre est. Post observationes maxime diffusas, experientiamque diligentem, cui morborum classui, localium an universalium, malum hoc pertineat, adjudicatu difficillimum credit Pearson.

Horum qui carcinomate pessima laborant, sanguis tam firmus in textura ejus, et quod ad contenta sua, tam justus, plerumque reperitur, quam in iis qui valetudine firmissima gaudent.

Ab nonnullis tamen auctoribus affirmatur, crassamentum admodum solutum existere, et serositatem præter solitum obtinere. Observationibus et periculis accuratis non inniti videtur hæc opinio.

DE CARCINOMATIS CAUSIS.

In classes duas, predisponentes et occasionales, hæ dividantur. Ad impressiones fortuitas, partis læsionem producentes, vel ad circuitus regularis, cursum mutantia, et morbi sedem versus, derivantia, aut forsan ad hæc duo simul concurrentia; carcinomatis causæ occasionales referri possunt. Horum sunt omnes evacuationes suppressæ, animi affectus præcipue deprimentes, quales mœror, melancholia, et similia. Hujus morbi connexionem cum evacuationibus suppressis, nostrum non est dijudicare, attamen observare liceat eas mulieres quæ, ætate adhuc integra, carcinomate corripiuntur, plerumque amenorrhæa laborare; et confitendum est tales

fœminas

fœminas quæ id ætatis, quando cessaverint menses, attigerunt, huic malo maxime obnoxias esse.

Carcinomati mulieres, et præ ceteris innuptæ, maxime obnoxiæ sunt. Ex Dionis observationibus, discimus inter fœminas viginti carcinomate affectas, quadragesimum quintum annum excessisse quindecim.

In peregrinatione sua per Galliam Italiamque, eidem auctori innotuit virgines in cœtu religioso, huic morbo præcipue proclives esse, eoque magis, si menorrhagia vel amenorrhæa laborabant. Carcinomatis haudquaquam immunes juniores, ab eo tamen raro plectuntur. Scriptis tradita sunt ægrorum exempla, qui intra vigesimum annum carcinomate linguali interrempti sunt.

Fluxus hæmorrhoidalis soliti suppressio, mares etiam ad hunc morbum proclives red-

 dere

dere dicitur *. Sine causa ulla evidente, malum sponte sua nonnunquam oritur.

Quæritur quatenus, scirrhum inflammatio faciat; nonnulli auctores haud parvi nominis hepatis inflammationem frequentius scirrho excipi monent. Verisimile est, inquit Pearson, partis externæ inflammatione scirrhum nunquam induci.

CAUSA PROXIMA.

Justamond, qui huic morbo operam solicite impendit, causam proximam ejus, ad insecta quædam, ova sua in corpus deponentia, indagabat. Ab nonnullis auctoribus causam proximam, huic malo præbere, dictæ fuerunt hydatides.

Causa

* "Nicolianæ fumus, fungo aut scirrho in æsophago originem dare fertur; et habentur ii qui tali fumo gaudent, scirrho aut labii inferioris carcinomati magis quam alii proclives."—*Monro Tertius de Dysphogia*, p. 58.

Causa proxima ejus esse videtur, vasorum partis affectæ atonia, precipue ex causarum remotarum ratione habita, quæ tales sunt, quales vel debilitant, vel vasorum tonum, in partibus eorum actione subjectis destruunt.

Plurima alia judicia de hujus morbi causa proxima annumerare supervacaneum foret.

Sub alta caligine adhuc mersa est hæc questiuncula, atque futuræ indagationi multum restat, antequam de ea pro certo definire possumus.

DIAGNOSIS.

Hunc morbum ab aliis eum similantibus dignoscere difficillimum est, quod tamen ægræ plurimum interest.

A tumoribus strumosis, distinguendi sunt scirrhosi, diversis vitæ temporibus grassantur hi

morbi; juniores scrofula, seniores carcinomate sæpius plectuntur. Tumor strumosus magis simplice et forma æquali gaudet, pretereaque, cum temperamento speciali consociatur, quod hujus morbi indicium est.

In carcinomate, solidorum nullus defectus visibilis apparet, neque corporis universi; pars affecta solummodo dolet; morbi sedes etiam alia est; glandulis secretoriis semper insidere scirrhus dicitur, in lymphaticis aut absorbentibus nunquam primario, donec, morbi progressu, viro a partibus vicinis absorpto, hæ etiam inficiantur.

Ad ulcus cancrosum a strumoso distinguendum, multum confert evacuationis species.

A tumoribus phlegmonideis, dolore pulsatili, ab initio perstante, caloris sensu, stipato; cutis rubore splendente et tensione dignoscitur. In carcinomate pulsus plerumque debilis et parvus; in phlegmone, citatus et plenus.

TUMORES lactei, qui in fœminarum mammis sese ostendunt, phlegmonideos in progressu et terminatione sua adeo referunt, ut in iis, a cancrosis, distinguendis parum difficultatis sit.

HAUD raro autem difficillimum est mammarum tumores ab injuria externa orti, dignoscere an cancrosi necne evasuri sunt, aliquando per plurimum spatii, stationarii manent, ideoque inter decursum suum observatione diligentissima egent.

A carcinomate phlegmon testis et hernia humoralis facile discriminantur, ut et hydrocele accuratius inspecta. Cum aliis signis venereis, in quavis alia corporis parte, ad eam a carcinomate vero distinguendum, inservientibus plerumque stipatur saccocele syphilitica.

LABIORUM, nasi, linguæ, vel uteri, ulcera cancrosa a syphiliticis distinguenda sunt, in quibus locis facilius confundantur, Ulcera

phagedænica,

phagedænica, in quavis corporis parte, a carcinomate etiam dignoscenda sunt.

In herpete nasum exedente, gradatim cessant actiones morbidæ, et dum partes vicinæ contaminantur, primum affectæ statum sanum recuperant. In hoc morbo, qui carcinomatis modificatio esse videtur, nunquam affici dicuntur glandulæ absorbentes.

Carcinomatis modificatio etiam videtur existere noli me tangere, quod non nisi lædatur, vel applicationibus topicalibus exasperetur, raro virulentum evadit. Sub forma tuberculi parvi, rotundi accuminati cum dolore parum vehementi, sese ostendit ; de quo affirmat Rogerus, cancer plus corrodit uno die quam noli me tangere uno mense *.

In noli me tangere sanies ab canceris differre dicitur, propterea quod partes vicinas non absorptione,

* Wiseman.

sorptione, sed contactu immediato, contaminat.

Ab carcinomate dignoscitur elephantiasis, propterea quod in junioribus quam senioribus frequentius occurrit; hydrargyrus etiam, qui in carcinomate plerumque nocet, in lepra curanda plurimum valet.

Omnibus jam præmissis non obstantibus, sæpe difficillimum est affectiones alias ab carcinomate vero distinguere, ita ut, dolore excepto, descriptio cujus valde incerta sit, nihil pro certo scio quod carcinoma ab aliis tumoribus discriminare potest *. Scrofulam et luem veneream, cutis cancer mentitur.

"Discernere autem Cacoethes quod curationem recipit, a carcinomate quod non recepit, nemo scire potest, nisi tempore et experimento †.

PROGNOSIS.

* Adams on Morbid Poisons.

† Celsus.

PROGNOSIS.

Plerumque fere infausta, et ex magna parte, morbi duratione, extento, et situ, dirigenda est, veluti si morbo, in quibusdam visceribus internis, ventriculo, utero, vel similibus, sedes est, si habitus vitietur, aut valetudo generalis lædatur. Si intestina, mammæ, vel testes, prognosis nostra magis infausta est, quam si facies, labia, oculi, vel nasus, inficiantur. Si cutis sola corripitur, adhuc magis fausta sit.

Hepatis scirrhus ut plurimum, in icterum insanabilem ascitemve terminatur. Quando in partibus glandulosis sese ostendent tumores, de terminatione eorum prognosim instituere, sæpe difficillimum est, aliquando enim perplurimum temporis stationarii perstant, ergoque nihil de iis pro certo prognoscendum.

In testiculorum carcinomate, si non cito extirpatur malum, per funem spermaticum sese extendit,

extendit, et ægri miserrimi, ærumnis finem inevitabilem imponit, frequenter etiam, nullo scroti ulcere externo sese ostendente.

DE MATERIEI CANCROSÆ NATURA.

Ex Doctoris Crawford experimentis qui hujus veneni naturæ, cui sui generis fœtor talis et virus insunt, qualia morbum primo intuitu plane designent, operæ plurimum impendebat;

1*mo*, Detectum fuit alkali volatile potens, quod succorum vegetabilium colorem transmutat. 2*do*, Cum hoc alkali, conjunctum fluidum aeriforme, aeris hepatici, proprietates præcipuas possidens; et, 3*tio*, Ammoniæ hepatizatæ species his conjunctis formata, ex qua fluxus natura exitiosa pendet.

Hujus veneni lethalis indicia sunt, fœtor quidam valde ingratus. Glandularum lymphaticarum vicinarum tumores, atque vasorum

 erosiones.

erosiones. In metalla agit hoc fluidum, et etiam sales metallicos decomponit. Saturni præparationes ulceri applicatæ colorem nigrum assumunt. Tam acris aliquando repertus fuit humor ex ulcere detractus ut testante Van Swietan linteola ulceri applicata, æque corrodantur, ac si acido nitrido tangerentur. Doctor Crawford fœtorem intensum et ingratum, qui hujus morbi stadium ultimum comitatur, gaseos ammoniacæ evolutioni, quæ acidis, præcipue muriatico oxygenato, facile liberatur debere existimat.

In hoc gase ammoniacale hepatizato discrimen inter carcinomatis virus et pus verum consistit, et huic gasi, effectus ejus lethales plerique referendi sunt.

CARCINOMATIS CURATIO.

Adhuc latet, interque desiderata recensenda est, æque ac nosocomium pro hoc malo laborantium

rantium accommodatione; saltem in hac regione quæ toto orbe dividitur sole benignissimo, cujus lumine fausto fruimur non obstante potius vero jubente, optima omnia fieri.

In nullius morbi, qui corpus humanum aggreditur, tractatione evidentius apparet medicamentorum impotentia, quam in carcinomatis.

Remedia diversa, topicalia et generalia, quæ contra hunc morbum propinata fuerunt, annumerare ultra limites præscriptos hanc dissertatiunculam protraheret, ideoque pauca eorum solummodo recensebo.

Sub morbi initium, præcipue vero, si adsit inflammatio manifesta; ad malum remorandum nonnihil aliquando inserviunt regimen antiphlogisticum, et sanguinis per hirudines detractatio topicalis; quibus etiam morbus sanari dictus fuit *.

* Fearon.

Hydrargyrus contra carcinoma exhibitus, ut plurimum maxime nocuit; impotentiam ejus in hoc morbo jam omnes fere medici admittunt. Submuriate ejus unico pro alterativo uti possumus. Quasi specificum nihilominus reperitur in ea morbi forma, quæ jecinoris scirrhus, vel hepatitis chronica, nuncupatur.

Hydrargyrus cum antimonio conjunctus in primo morbi stadio a Doctore Rowley plurimum laudatur; ille ab hoc in dosibus refractis exhibito et diu continuato effectus saluberrimos pollicetur. Ab Hallero murias hydrargyri multum celebratur.

Arsenicum, in carcinomate, ut remedium, plurimum in usu est, et ut verisimillimum est, basin format omnium fere remediorum quæ ab empiricis usurpantur in hujus morbi curatione; in forma vel solutionis vel emplastri. Et sane quidem testimonia tam multa præclara, ad hujus medicamenti potentiam in exemplis quibusdam cancrosis probandam proferuntur, in

iis

iis præcipue quæ luem veneream excipiunt, ut potentiam ejus omnino denegare audacia maxima esset. Inter arsenici applicationem ad ulcera facei cancrosa aliquando, plurimum affici, observata fuit respiratio *.

Confitendum est, frequenter nocuisse arsenicum æque ac omnia alia stimulantia, in morbis malignis, qui sanari recusant. Proprietates ejus specificæ, si aliquas possidet, adhuc inveniendæ restant.

In malo hoc sanando muriati barytæ, laudes magnæ sed perbreves fuerunt, nonnisi in duobus exemplis solitariis a Doctore Crawford memoratis optime merito.

Ictus electrici effectus in carcinomatis veri primo stadio, valde incerti sunt; progressum ejus etiam accelerant, tantum abest ut frænum ei injiciant.

Laudibus

* Audi prælectiones Profess. Russel.

Laudibus cicutæ præclaris non obstantibus, effectus ejus specifici in hoc morbo omnino debiles, vel nulli sunt, aliquando quidem prodesse reperitur, dolorem levando; opio pro hoc proposito frustra exhibito; in forma cataplasmatis applicata ulcerum humorem meliorem reddit, et morbum lenit.

Solanum belladona et aconitum in eodem loco cum conio maculato ponantur. Omnium remediorum, optimum est opium, dolorem mitigat, et ægro solatium, pro tempore saltem, in omni morbi stadio impertit.

Morbum, abstinentia diu continuata, e radicibus evellere proponit Pouteau, et ex tali tractationis methodo plurimum fructus pollicetur: fatetur quidem, omni eloquentia sua opus esse, ut ægris persuadeat latranti stomacho offam denegare *.

Cutis carcinoma nonnunquam curationem recipit;

* Pouteau Œuvres Posthumes.

recipit; sponte sua aliquando conglutinans et faciem sanam induens ex diversorum remediorum applicatione *. Ex acidi carbonici applicatione, effectus felices primi, nequaquam perpetui, sed pro tempore sunt.

Morbum adaugent, potius quam reprimunt alkalia; dum acida pro remediis usurpata, aliquem effectum visibilem in morbi progressu reprimendo exhibent, et ad quoddam tempus proclivitati ad putridinem occurrunt.

Ad ammoniam liberandam quam in ulceribus cancrosis inesse existimabat Doctor Crawford; acidis variis usus est. Horum acidum muriaticum oxygenatum cum tribus aquæ partibus dilutum, in quibusdam exemplis, humorem meliorem reddere repertum fuit; sed in aliis exemplis omnino irritum fuit.

Acidum vegetabile nonnihil valet in fœtore debellando,

* Audi prælectiones Profess. Thomson.

debellando, sed propterea quod irritationem auget, ut noceat necesse est.

Cataplasmati dauci inesse reperitur potentia specialis, in humoris ex ulceribus detractati, fœtore corrigendo, ut et aliquando, in dolore plurimum levando.

Inter omnia remedia jam memorata, verisimillimum est nullum reperiri posse, cui hujus morbi horrendi curatio confidenda sit.

Extirpatio tempestiva, unicum est et certissimum remedium cui confidere possimus; an vero, morbo radices jam adepto, jubenda sit, necne, non satis constat. Hic labor, hic opus!

Ex nonnullorum sententia, excisio quantumvis mature perfecta, morbum recidivum nullo modo prævenit. Multum abest utcunque, ut vera sit talis opinio. Sed ad eventum felicem,

glandulæ

glandulæ omnes induratæ vel contaminatæ excidendæ sunt.

Cauterio haud raro utimur, quamvis forsan, in quibus juberetur, exempla haud raro occurrunt, quorum nonnulla hoc remedio sanata Pouteau memorat *.

Morbo jam latius sarpto, altiusque progresso quam ut excidi posset, ægroque medicamenti omnigeni applicatione inutili penitus defesso; nihil amplius medico peragendum restat, nisi ut ægri dolores mitiget. Tunc temporis, ad opium quasi unicum ultimumque refugium decurrendum est; necnon potu refrigeranti, aciduloque ad febrem hecticam leniendam, quæ tandem ægrum miserrimum e vivis tollit; vitæque summæ brevi finem imponit uti debemus.

* Œuvres Posthumes.

Finis.